



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117794**

§. 14. Sermo S. Augustini contra Pelagianos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](#)

§. XIV.

Sæculum V.  
A. C. 413.

Sermo S. Augustini contra Pelagianos.

Interim Pelagii errores in Africa disseminabantur. Eorum defensores dicebant, *Pel. c. I. n. 25.* hanc esse Ecclesiarum in Oriente Doctrinam, & minabantur, omnes, qui eam non reciperen*t*, judicio istarum Ecclesiarum condemnandos. Id Sanctum Augustinum, tunc Carthagine degentem, permovit, ut jubente Episcopo Aureliano, sermonem ad populum diceret in magna Basilica 25. Jun. anno 413. qua die memoria Sanctæ Guddentiae Martyris ibi celebrabatur. Præcedenti quoque die, in festo S. Joannis Baptista concionatus fuerat, atque de Baptismo parvulorum dice*Serm. 294.* re cœperat, at, cum illa die materiam *al. 14. de verb. Apost.* amplissimam absolvere non potuisset, eandem altera die prosecutus est, atque populum instruere, quam Sanctam laudare potius habuit.

In hoc sermone Pelagianos, quos non nominat, impugnat. Concedunt, inquit: *c. 8.* infantes esse baptizandos, ut possint intrare in Regnum Cœlorum, & tamen affirman*t*, hos sine baptism*o* ad vitam æternam perventuros, quia nec proprium, nec originale peccatum habent. Nova hæc est Doctrina, subjungit: præter Regnum Cœlorum dari vitam æternam. *Scriptura Matth. 25.* inter 33. &c.

Sæculum V. inter dextram, & sinistram, Regnum Dei  
A.C. 413. & ignem æternum nihil ponit medium

**I. Cor. 6.9.** Quicunque e Regno Cælorum excluditur  
&c. ad ignem damnatur. Salus ista, quæ infantibus extra Regnum Cælorum promittitur, arbitraria est; alius ex eodem fundamento, si fuerit magis misericors, eosdem

in Regnum Cælorum transferet; nam peccatum originale non datur, nulla pena digni sunt, at Regno Dei privari semper pena est, & quasi exilium. (\*) Pelagiani hanc distinctionem inter vitam, & Regnum fundabant in illis Evangelii ver-

**Joan. 3.5.** bis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Dei.* Sed postea dicitur: *quiscunque credit in JESUM Christum, non peribit, sed*

**ibid. 16.** *babebit vitam æternam.* Dum infans baptiza-

(\*) Anonymus I. hic notat, Fleurium, ad rigidas sententias semper inclinantem, ea ex S. Augustino excerpere, unde erui potest, Parvulos, sine Baptismo mortuos, cum reprobis adultis ad flamas æternas damnandos, illa vero, quæ idem S. Pater, contra Julianum scribens, parvulis magis faventia dixit, in Fleurio non legi. Loco ipse referri meretur. Julianus objiciebat, JESUM Christum de Juda Proditore dixisse; melius fuisse huic perfido Discipulo, si natus non fuisset, & infert, si parvuli cum peccato originali nascerentur, idem de ipsis dicendum fore, quod a sana ratione abhorrens, & nullatenus proba-

bile

baptizatur, respondent alii, ipsius nomine <sup>Sæculum V.</sup>  
quod in JESUM Christum credat; ergo si <sup>A. C. 413.</sup>  
ne ista fide periret, & vitæ æternæ parti- <sup>Serm. c. II.</sup>  
ceps non fieret. Ita S. Augustinus probat  
dari peccatum originale ex eo, quod infan-  
tes baptizentur. Nam quamvis argutiæ <sup>c. 17.</sup>

Pelagianorum eo tenderent, ut Baptismo  
infantum utilitatem detraherent, tamen,  
auctoritate Ecclesiæ pressi, negare non  
audebant.

Præterea S. Augustinus peccatum ori- <sup>c. 14.</sup>  
ginale demonstrabat per verba S. Pauli,  
dicentis, peccatum in mundum intrasse  
per unum hominem, in quo omnes pec-  
caverunt. Ad hoc respondebant; cum <sup>Rom. 5. 12.</sup>  
Adam primus peccasset, peccatum ejus  
in omnes alios transisse, quod pravum  
ejus exemplum fuissent imitati; verum-  
tamen in hoc sensu peccatum magis a  
Dæmone

bile putabat. Respondet S. Augustinus Lib. V.  
cont. Jul. ego autem non dico parvulos sine Chri-  
sti Baptismate morientes tanta pœna esse pleciendos,  
ut eis non nasci potius expediret. Et infe-  
rius: non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli  
essent, quam ut ibi essent potius expediret. Con-  
cludit Anonymus, JESU Christi verba de Juda,  
& illa: qui non crediderit, condemnabitur. de  
solis adultis accipi posse, atque plurimos Catholi-  
cos Theologos dicere, parvulos sine pœna, imo,  
& sine tristitia persistere. Monet etiam, libros  
S. Aug. cont. Jul. ab ipso in suis retractationibus,  
non vero sermones fuisse emendatos.

Sæculum V. Dæmone contraxissemus, qui prius quam  
A.C. 413. homo peccavit, & malorum Pater dici-

c. 15. tur; & justi potius ad Abel essent refe-

*Joan. 8.44.* rendi, qui ipsis primus virtutis exem-  
plum reliquit, quam ad JESUM Christum,  
qui tanto post eum tempore advenit.  
Atqui dicebant: *Si illi, qui ex peccator-*

*S. Augusti-nascuntur, peccatores sunt, quare illi, qu-*  
nus contra *ex Fideli baptizato nascuntur, non sunt*  
*Pelagianos. justi, sicut Pater eorum?* quia, responder-

*S. Augustinus: Fidelis non generat, qua-*  
tenus secundum Spiritum ipse regeneratus  
est, sed quatenus generatus est secundum  
carnem; & nemo renasci potest, antequam  
natus sit. Ita Filius circumcisus, non nasci-

c. 19. tur circumcisus. Illa S. Pauli verba alle-  
*1. Cor. 7.14.* gabant: *alioquin Filii vestri immunni-*  
essent, nunc autem sancti sunt. Quocun-  
que sensu id accipiatis, inquit S. Augu-  
stus: *bic de Baptismo sermo non est, &*  
*haec Sanctitas Baptismi necessitatem non*  
*tollit; alioquin maritus mulieris Fidelis*  
*non esset baptizandus; nam Apostolus in*  
*eodem loco etiam dicit; eum per ipsam*  
*sanctificari.*

Ad finem hujus Concionis dixit: *vo-*  
go vos, ut aliquantis per habeatis patien-  
tiam, pauca prælegam. *S. Cyprianus* is-  
est, quem in manus meas accepi, olim bujus  
*Sedis Episcopum; audite! quæ ipse de*  
*Baptismo parvolorum crediderit, vel po-*  
*tius, quomodo docuerit, quid Ecclesia hac*  
*in*

in re semper tenuerit; quippe hominibus Sæculum V.  
 istis non satis est, nova, & impia in me- A. C. 413.  
 dium proferre, sed etiam nobis novitatis  
 notam inurere satagunt. Tum legit tex-  
 tum epistolæ ad Fidum, ubi inter alia hæc  
 habentur: si maximi peccatores, dum ad Sup. l. VII.  
 fidem convertuntur, remissionem peccato- §. 22. Cypr.  
 rum recipiunt, & Baptismum, quanto ep. 64.  
 minus denegari potest infanti, qui modo  
 natus est, & nunquam peccavit, nisi in  
 quantum ex Adamo secundum carnem na-  
 tus est, & in prima sua nativitate anti-  
 qua mortis contagionem contraxit. Eo  
 facilior eidem accessus pateat ad remissio-  
 nem peccatorum, quod ei non propria, sed  
 aliena peccata remittantur. Curemus er- c. 21.  
 go, addit S. Augustinus: ut a fratribus  
 nostris obtineamus, ne nos Hæreticos vo-  
 cent, cum nos ipsis invisum hoc nomen non  
 imponamus, quod imponere possemus. Ni-  
 mium crescit audacia, vix amplius est to-  
 lerabilis! sed Ecclesiæ patientia non ab-  
 utantur! tolerandi sunt, qui falluntur in  
 aliis quæstionibus, quæ necdum satis sunt  
 discussæ, nec plena Ecclesiæ Auctoritate sta-  
 bilitæ; illi vero minime, qui ipsum Eccle-  
 sia fundamentum tentant concutere.

### §. XV.

#### *Alia adversus Pelagianos opera.*

Plurimi Pelagiani in Sicilia, præsertim  
 Syracusis versabantur; inde quidam,  
*Hist. Eccles. Tom. IV.* Qq cui